



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660**

Conseptio B. M. V. 8. Decembris.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42032**

illud Davidis exemplo se timenti inclamans, Securus es errantem, sequere poenitentem. Vidit igitur tunc orbis caput suum ante pedes Episcopi jacere, numquam ita extollendum, nisi ita demisset sese. Porro AMBROSIVS obsessos ab orco libertati, infantem demortuum vitæ reddidit, Divorum multorum ossa è tenebris in lucem gloriosâ pompâ transtulit, ipsius verò calumniatores morte subitâ vindex Deus abstulit. Moriturum cælesti voce excitus Honoratus Epil. sacro pane refecit, morientem verò blandum arridere Christus visus est, arrisurus etiam nobis in morte, si flentes in vitâ viderit. Ex Paulino.

*Cum diluculo surgimus, debemus, priusquam procedamus ex cubiculo, gratias agere Salvatori, & ante omnes actus seculi, actus habere pietatis, qui nos quiescentes & dormientes in lectulis custodivit. Et enim ego securus dormiam, ille vigilat. S. Ambr. serm. 43.*

CONCEPTIO B. M. V. 8. Decembris.

**S**peculum sine maculâ ostendimus, VIRGINEM Conceptam. Festi hujus diei originem, quæ sub annum cæpit millesimum ac septuagesimum, sic habe. Wilhelmo Nortmannorum Duce Angliâ poriente, missus ab hoc Helmsus Præsul est, qui hostium numerum ac robur exploraret. Dum facit hic imperata, fortè per eos dies gravi tempestate jactatur. Nullâ aliunde ope affulgente, Stellam maris MARIAM vocat. Adest pro hac è celo Nicolaus, spondet manum naufrago, si VIRGINIS Conceptæ diem habiturum se festum spondeat. Illico convenitur. Subsidit mare, enatat & vota Helmsus Sospitrici exsolvit. Atque hæc initia ampliora D. Anselmus fecit: amplissimi

mis deinde Indulgentiis ornavit Sixtus IV. Pont. Max. in VIII. continuos dies, quos etiam ipsos luculento miraculo Numen probavit. Etenim Nicolaum Pratensem memorant, ad icona immaculatæ VIRGINIS rosam cum his precibus deposuisse, vellet juberet, si gratum ei esset, octo dies memoriam Conceptionis suæ agi, numquam eo anno rosa illa marcesceret. Floruit semper, & cum rosâ multorum etiamnum in hanc diem pietas floret, quam ipsa ædium limina in Hispaniâ his verbis loquuntur: *Benedictum sit S. mysterium immaculatæ Conceptionis MARIAE.* Quid? quod aliter sentientes Doctores rectius nuper ab Hispanis infantibus erudiri vidimus. Se certè accuset, qui maculam hodie videt; suam dicat. Non habet purum, sed ostendit maculas, speculam. *Ex Baron. & Spinello.*

*Opem intercessionis MARIAE poscimus singuli, poscamus omnes: oremus ut sit protectrix in prosperis, submoveat noxia, suggerat profutura, admitrat preces supplicantium intra sacraria divinitatis, rebusq; impetret consortium sua beatitudinis. S. Hildephon. serm. 6. de Assumpt. B.M.V.*

## S. SYRVS EPISC. 9. Decembris.

**S**Acra nostra SYRVS à D. Hermagorâ est edoctus, ipse Papienses docuit, multum eâ in re S. Iuventii operâ usus, quem socium expeditionis Hermagoras addiderat, cuique à morte SYRVS noster mediis Martyres inter triumphare est visus. Veronâ transeunti, ut de fide nostrâ dicenti fidem haberent incolæ, testem è tumulo mortuum excivit, & cum primùm Papiam est ingressus, senis civibus gravissimè decumbentibus salutem